



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 3. Qualis unio inter materiam & formam requiritur ad valorem
Sacramenti?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

fici sine benedictione Sacerdotis, sed solâ Scripturâ, vel nutu exprimente mutuum consensum, quæ sunt verba virtualia, in quantum sunt expressiva consensûs, & sufficiunt in contractibus; quia, inquit, cum hoc Sacramentum consistat adæquatè in contractu Matrimoniali, quem Christus evexit adesse Sacramenti, nihil ad ejus valorem requiritur, nisi quod ad legitimum contractum necessarium est. Unde in decreto citato dicitur Matrimonium effici mutuo contrahentium consensu, *regulariter* per verba de præsentis expresso. Aliud est de sex aliis, ut constat ex traditione, & praxi Ecclesiæ.

Q. 3. Qualis unio inter materiam & formam requiritur ad valorem Sacramenti?

Resp. Requiritur utriusque coexistentia, seu similtas moralis, quæ secundum significationem verborum formæ & quantitatem actionis, per quam Sacramentum fit, sufficiat tum ad veritatem formæ, tum ut verba censeantur cadere super talem materiam, & cum illa unum totale signum constituere. Sic in Baptismo requiritur talis conjunctio, ut dum Minister verba profert, censeatur moraliter etiam lavare. Hæc autem unio moralis sufficit, quia Sacramentum est compositum quoddam morale, conficiendum ab hominibus, ideoque more humano; & major non est sæpè possibilis moraliter: unde si exigeretur, Sacramenta sæpè irrita forent.

Porro

Porro hæc unio diversa est pro diversitate Sacramentorum; nam requiritur major in Baptismo, ob formam exprimentem ablutionem actualem: & major in confectioe Eucharistiæ, cum forma sit demonstrativa Corporis Christi, sub accidentibus panis & vini, quorum substantiam destruit.

Sacramentum verò Pœnitentiæ non exigit tam strictam unionem; quia institutum est per modum iudicii, in quo sententia non semper statim sequitur causæ examen. In Matrimonio unius consensus potest alterius consensum tamdiu sequi, quamdiu hic moraliter perseverare censetur, sicut in aliis contractibus; quia fundatur in naturâ contractûs. Tamen quoad praxim materia & forma, quantum fieri potest, simul sunt conjungendæ.

Q. 4. Quenam mutatio materia, vel formæ, irritat Sacramentum?

Resp. Quævis mutatio substantialis in materiâ vel formâ invalidat Sacramentum; quia tollit materiam vel formam quam Christus instituit. Accidentalîs verò non irritat, quia cum tali mutatione manent materia & forma quales Christus instituit. Sed circa hoc observanda sunt sequentia.

I. Mutatio materiæ est substantialis, quando materia nomine & re, secundum communem æstimationem & usum, differt ab eâ, quam Christus instituit, & Ecclesia usurpat;
ita